CONCIO IN DIVI GREGORII MAGNI LAVDEM.

CORAM SALMANTICENSI ACADEMIA EIVS FESTVM FAVSTVM CELEBRANTE.

LATINI LABRI VERNACVLIS SCHOLÆ NVMERIS DECANTATA.

PER PATREM F. IOSEPH DE LA CERDA, *ex sacro Benedictinorum D. Vincentij Collegio Theologum.*

AD REVERENDISSIMVM, Eruditissimum, Nobilissimum. P. M. Fratrẽ ANTONIVM DE CASTRO olim Benedictinæ congregationis Generalem, Comitum Lemorum styrpis splendorem.

SALMANTICÆ.
Apud Antoniam Ramirez. Anno 1629.

28
12
10
50

16
88
80

15
90


AVE MARIA GRATIA GLENA DOMINº

AD REVERENDVM P. M. F. ANtonium de Castro olim Benedictinæ congregationis Generalem sua dedititia sua proles, P. F. Ioseph de la Cerda.

EN prælo Magnus in Panegyri traditur Gregorius. En prælio paruus ingenioli vigor inseritur. Quid ni prælum, prælium dicam? Quot graphydes, quot modioli, quot typi; tot hastæ, tot hostes, tot agmina, tot minæ, queis perstrepentium linguæ libenti liuore luridæ scribentis filum elinguant; & dum liuidam scabiem super membranas effundunt, litteram litturant, & ferali Parcarum forcipe nominis exarati filium findunt. Ad hæc audaci non inglorius accingor animo, dum tuo cingor nomine, & munimine Pater Amplissime. Cui infestus, cui non faustus ero? Si Heros nobilitatis mihi herus; si Comitum progenies mihi comes, mihi genitor: si Ducum nobilitas mihi dux: si Religionis paradigma: si splendoris iubar iuuat, elucidat irradiat mearum teneros lucubrationum fœtus. Ex aris

ad

ad auras prosilio, non inanes captaturus, sed vt tui fauoris Fauonius perflans exanimem huius ingenij partus viuidum efficiat limum. Ex tui Solis rota radium venari contendo, vt quod conflaui figulinum concionis simulachrum, vt nouus Promotheus ignei spiritus nitore perfundam. Prometheum esse in verbis *lepida dicacitate, & Ionica subsanatione dixerat olim quidam de Luciano, occidua eius innuens opera, & ollularum more leni lapilli tactui obnoxia. Sic mei eloquij glebas tui luci offero animandas, vt si ad vulgi iacula rumpantur lagenæ, inserta lux illuminet, eliminet hostile supercylium. Viretum Religionis vernum sub tua æthra, sub tuo æthere, sub tua luce, sub tuo luco, tenello mihi contigit germini. Gemina sors, & nasci dedit, & Parentem. Ad tui pedes (quam decora cunabula) fleti stolo. Tui à te consitus ad imbrem, ad vmbram, ad solem quam citus, quam scitus frutex gemmascere patui. O si patrissarem, & tuum solium odora foliorum, & fructuum messe redimerem, & luxurianti frugum ambirem fastu! In Prouerbium abijt Græcorum* Heroum Filij noxæ. *Si veritas inesset elogio, qualis noxa forem, tanto satus heroe! sed vt mentiatur iniquitas sibi,* vt virgam vigilantem *videas, vel (vt cum Peritis lego) virgam amigdalinam; quæ reliquam arborum plebem vberi auiditate præteruolans, candido crine præcox turgescit; Gregorij, id est vigilantis concionem, vt primaua*

mæua amigdala tibi cõnsecro. Vtinam hæc meum ver florida enuntient lingua, vt ditiorum tibi fructuum segetem papyraceis comantem folijs, ceu tui gaudium bellaria, tibi germinem. Si pluuiam benignitatis irroras, si vt Apollo rigas, *tua sata non tàm offero, quàm refero; solum indico, vindica Quod dico munus, tua dedit manus. Sed de te concinam, quod de Theodorico Cassiod.* Nec benignitas tua vna remuneratione contenta est, honorem geminas, & eo studio dona reparas quasi debeas omnia, quæ præstas. *Perge Benedictinorum sydus, iberi sanguinis decus, toties mihi Pater, nec filum filio deneges, vt per litterarios, anfractus per cæcos studiorum ambages euadat Theseus modulans triumphum. Vale.*

Licencia.

NOS el Licenciado Saldaña Prouisor del señor Obispo de la ciudad de Salamanca, damos licencia al padre Predicador F. Ioseph de la Cerda de la orden de san Benito, para que pueda imprimir el sermon en latin de san Gregorio Magno, que predico en el dia de su festiuidad delante de la Vniuersidad de Salamanca. Dada a dos de Mayo del año de 1629.

El Licenciado Saldaña.

Por mandado de su merced.

Alonso Velazquez.

Super Euangelium Doctorum secundum Math. capite quinto.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ, &c.

Qui autem fecerit & docuerit hic magnus voca-bitur in Regno Cœlorum. Matth. cap. 5.

Salutatio.

MAGNVS vocabitur? Quid ni magnum apud cœlitem aulã Magnus vocitetur? *Ecce nomen eius venit de longinquo.* Magni sona Magni Gregorij sub conuexis per telluris auras, & aures nomenclatura dispalescit. Sed quia *Magnus est, & laudabilis nimis, Magnitudinis eius non est finis*; & quo apud terrigenas hic, apud Cœlicolas illic in Impireo decoratur emporio. *Arctus* eloqui *panis* laticis latitantis *aqua breuis* Magnum cogit præpeti orationis cursu cito à vobis *auolare doctorem meum.* Compede irretitur Panegyris.† Terrarum orbẽ vnius tabulæ ambitu (vt Ausonius suo personabat Gratiano) detrimento Magnitudinis non dispendio veritatis compellor circunscribere.†

Esai. 30. *Psal. 144.* *Esai. 30. 20*

De sale igitur, de sole, de luce, de Duce, de monte, de mẽte, de Magno in cœlo, de Magno in Cœlio, sub stricta meta Mens agitat molem emoliri. Qui nomen illi, numen mihi porrigat, flamen, flamam, & flumen; ne paruulus sit in ore, qui Magnus est in corde. Sed non aliter in meo eloquio, *Hic erit Magnus, & Filij Altissimi nomine vocabitur*; ni cætera Angelici nuntij enuntiem primordia, vt cuius Magnum parturiens (cum D. Zenone modulor) †superbus emicuit venter verbo† Ad Magnum personandum afflet verbũ †Benedictionibus te celebrat Diua parens (sic cõcinit Athanasius)

Luc. 1. c. 32. *Serm. 3. de Natiuit.* *Marc.* *Ad B. Virg.*

nasius) Prima Hierarchica acies, quæ ex Thronis, Cherubinis & Seraphinis constat; qui Regis Dei cognitores Magni apellantur. † Nunc ab his Regis Dei cognitoribus ad Magnum Doctorem, ad prolem Benedicti accerseris Benedicta; & vt cum Zacharia 1. *Educas Ecclesiæ lapidem primarium; & exæques gratiam* meam *gratiæ* eius, iam auidi in ore habemus, Aue Maria.

QVI autẽ fecerit, & docuerit hic Magnus vocabitur in Regno Cœlorum. Pẽnatus ille armiger ales Euãgelista Ioannes ex ædito Pathmos Cacuminè abstrusi iubaris stillantia, & scintillantia carpens alimenta aquillæo obtutu Apocalypsis 10. *vidi*, insonat, *Angelum fortem descendentem de Cœlo, amictum nube, & Iris in Capite eius, & facies eius erat vt Sol, & pedes eius tanquam columna ignis, habebat in manu sua libellum apertum, posuit pedem suum dextrum super Mare, sinistrum super Terram, clamauit voce Magna quemadmodum Leo rugit, & cum clamaret, loquuta sunt septem tonitrua voces suas.*

Apoc. 10.

Tanti spectri impatiens oculorum acies, non nitens, sed nutans hæsitanti perstringitur inuolucro. Sed in ænigmatis enucleo æreis, & hærentibus repagulis obducto effigiatus delitescit Gregorius; & ni breuitatis scopulo impingam, cũcta huius Angelici fulgetri Gregoriũ euulgãtia præsignia, cõpingã, pangã lineamẽta. Nec Euangelicus deseretur limes; hic sal, & Sol; lux & lex doctrinæ, & operis munus, & manus, & Magnus vbique Angelus enitescit.

Quam illico Magnus in Angeli nomine, propalatur Gregorius. Hierarchicæ aulæ accola inest Magnitudo, & inter Angelicos degit lenus. Raphael Angelus vt sub humano deliteret vocabulo nè naturæ immemor limosis non præpeditæ glebis existeret, dum lutea apparebat abditus compage. *Ego sum* (fatur Tobiæ cap. 5.) *Azarias Ana-*

Tob. 5.

nia

145

niæ Magni Filius. En Magnum euulgauit Parentem. Quid tibi figmentati Magnitudo Patris Angelica proles, cuius genus à Ioue solo? An in hac, ætherei spiritus & decus & decor? Compte Hieronymus Ad illud Matth. 22. *In resurrectione neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Cælo*. Sic accinit, † Quando dicit erũt sicut Angeli in Cœlis; non natura & substantia corporis extollitur, sed gloriæ Magnitudo mõstratur. † En pro Angelico fastu Magnitudo. En pro Magno, pro Gregorio, Angelus, qui in elato orphicæ vitæ cacumine hominem denudauit, induit Angelum, & spirituum rutilo addictus Choro, *Ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo Petri*, in Pontificio solio. Si etenim *septem Stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum*, Cur non Angelus cui *Sol in facie*, cui submisso poplitè sub placidis eius loris dociles curuantur Ecclesiæ?

Matth. 22.
Actor. 12.
Apocal. 1.
Cathech. 5.

Immo cum D. Cyrillo Hierosol. * Cogito in quantam Gregorius prouehitur dignitatem cum diuinæ fit particeps appellationis. * Ipse enim *licet non cœpit inuocare nomen Domini*, tamẽ si D. Cyrilli lectionẽ sequar * Cępit vel accępit inuocari nomine Domini. * *Quod est enim Nomen eius aut nomẽ Filij eius si nosti?* Nonne *Magnus filius Altissimi vocabitur*. Nonne *Magnũ est nomẽ meũ in gẽtibus Malachiæ 1. dicit Dominus exercituũ*. Quã Nobile Gregorij elogiũ! Altitonãtis faustus fętus hæreditaria Dei voce coruscat insignita proles, & quod *Angelo Philadelphiæ* promissum Tybrydis Angelo diffunditur. *Faciã illũ colũnam in templo Dei mei & scribam super eum nomen Dei mei.*

Genes. 4.
Proueb. 30
Malach. 1.
Apocal. 4. 12.
Mons Cœlius de quo Ouid. D. Grego. domus.

Sed Angeli rimemur stirpem. *Vidi Angelum* (concinit Ales) *descendentem de Cœlo*. De Cœlo an de Cœlio? Sed quid inter montem Cœlium, & Cœlũ? Dum Gregorij partus extitit fastigiata nobilitas, iã inerat, *Mons Dei*, mõs *pinguis*, *Ciuitas Regis Magni*. Antea erat lambens

Psal. 67. c. 16.
Ps. 47. 4. 3.

ſydera olympicum cacumen, Romulidumque ſtemmatum ſcopuloſa ſuperbia, Mineruæ fanum: fenum id ſi poſtea proſpectetur eſtectum ob genus Gordiani, Imperiale; ob Gregorium, Impireũ. Quid exæſſa huius ſtirpis picturata metalla fragili depingam penicillo? Tot induperatorum purpuras Serico ſanguinis coccino madidauit, tot diademata crepitanti lapidum igne diſtinxit, quælibet inerat montis Cautes flammeus in coronis pyropus; Hæc mihi coruſca domus dumus obijcitur, quæ dum purpuraſcentibus oſtro

Exod. 3. b. 5. flammis non aduritur, ſed nitet, rubet rubus, & ni *calceamenta ſoluam* abſtruſum non rimabor penetrale. Cuius aulæa trabeæ; cuius ſtromata togæ; cuius laquearia ſceptra; cuius faces faſces, cuius ſedilia throni; cuius epyſtilia mythræ; cuius ſolium, bis ſolium, bis maximum, bis numen edidit Pontificium. Et Genitrix & Genitor, ſexus diſsimilis nõ nexus, bifarij ſtipitis bifarius frutex geminatam faſtigiati generis ſobolem Gregorium parturiuit. Quanti, ò quanti decoris papillatus gloriæ corymbus totam rubentium foliorum nobili vbertate, vberi nobilitate, in vtroque expandit expreſsit ambitionem; in Gregorio preſsit, congeſsit. Hinc heroum ſanguine ſatus, illinc ſatus ſanguine Diuum: cui Beata Syluia mater; cui beata Tharſilla amita; cui bis Fœlix

Pſal. 113. d. 16. Quartus Pontifex, atauus: cui Gordianus contigit Pater. Sed dum Gregorius tam ſplendentis generis tyrijs exceptus toris deſcendit de Cœlio; iam *deſcendit Angelus de Cœlo. Cœlum enim Cœlij dedit Domino*, generoſa autem ſtemmata, & luxuriantibus nominum imaginibus atra, & attrita atria, excubiarumque pompa, & nobilitatis obeliſcis congeſtæ vetuſtatis, & venuſtatis Lenocinium, *vt terram dedit filijs hominum.*

Cœlius mõs Romæ D. Grego. domus.

Quid prima lineamina vitæ inſeram eloquio? vix pectore alitur (vt cum Sydonio Apollinari canam) ſed ab vbere tractus lacte relicto virtutum innocua pocula bibit. Non

etenim

etenim, *dum esset paruulus cogitabat vt paruulus, loquebatur*, vt paruulus, Qui *magnus semper, & magna virtus eius*. In fascijs erudiebatur ad fasces, & *a summo Cœlio egressus* infantilis proditor ætatis, *vt gigas exultauerat*. Non Mauortis fulmina, sed Rethorum exhauriebat flumina & Philosophorum stagna libabat. Illi illico in Præfectura tuto creditur Regia & vt aliàs Claudianus secum sentit creuisse triumphos. — *1. Chor. 13.* — *Psal. 146. a. 5.* — *Psal. 18. b. 7.*

Non alium certe Romana clarius arcem — *Claudian.*
Suscepere ducem, nec cum cedente rediret
Fabricius Pyrrho, nec cum Capitolia curru
Pellea domitor Paulus conscenderet aulam.
Nec similis Latias patefecit gloria portas.

Dessero hæc, maiora refero, Non hæc magnalia, magalia: hæc Sydonias clamydes denudat, gemmatas conterit togas. Et ecce sicut vidit Ioannes *Angelus amictus nube*. Qualis hæc an niuea? an nigra? sed si fax est facies, si sol est vultus, *Nolite considerare Quin fuscasit quia decolorauit eam sol*. En *tenebras posuit latibulum suum, qui amictus erat lumine sicut vestimento*. Cucullæ nubeculam induit, & dum de Cœlio celer descendit, iam Benedicti generosa propago, *posuit nubem ascensum suum*. Et cuculati syrmatis, *educēs nubes ab extremo terræ*, gratiæ roridis, *operuit Cœlum nubibus*, & monasticis, *montem sanctum eius*, dolauit disciplinis. Et complicatæ, laciniosæque vestis augustum non angustū expādens sinum, sex inter syculos Benedicti lycæis structis, *vocem dederunt nubes*. — *Cant. 1. b. 6.* — *Psal. 17. [b. 12.* — *Psal. 103. a. 1.* — *Psal. 134. b. 7.* — *Psal. 146. b. 8.* — *Psal. 2. b. 6*

Priuata hæc & vnius vrbis, non orbis. Exero iam è medio, è modio lucernam. Angelus, *qui descendit, ipse est & qui ascendit vt impleret omnia*. Nam vt Casiodoro fruar † Non amplius videtur erigi quā cui potuit Roma cōmitti † vtriusque sphæræ lupata premit, promit Pontificia, telluris margines adoranda emarginat adorea. Cōueniunt Romano — *Psal. 76. d. 18.* — *Ad Ephes. 4. b. 10.* — *Cassiodor.*

rum Aquilæ,& communibus allectus rostris, dilectus calculis in Chalatum orbis illud gemmascens Lilium effunditur. Sed *nondum hic propter. Hierusalem quiescam egreditur, vt splendor iustus eius*, & Tyberinas ad oras nutricis belluæ dominator, *accenditur vt lampas*, sed quia, *lampades eius lampades ignis, atque flammarum*, nescijt crescere, nisi de humilitatis cineribus animus depascatur. Ad Pontificium munus, effugit manus, & se se per silentem lucum lux obnubilans solium solis, & sydeream Ecclesiasticæ sphæræ pompam desserit, & puppim. Sed quia Angelus descendens de Cœlo, *pedes habebat tanquam columnam ignis, columna nubis loquebatur ad eos*, Nam æthere ab alto fluuio iubare ditans æthram in Gregorij latitantis signum igneæ nubis fulgetrum pepulit polus; & secundum illud Sapientiæ 18. *Ignis ardentem columnam ducem habuere*. Vt secundum illud Esdræ 4. *Lucem per columnam ignis*, sortirentur.

Esai. 62.a. 1. *Cant. 8.b. 6* *Psal. 98.b. 7.* *Sap. 18.* *Esdr. 4.*

Ecce iā *Lux mūdi*. Quā statim stetit *Sal*, & Iris in Angeli capite ambitioso naturæ splenduit luxu, orbitam sapientiæ vermiculati iubaris depingens Lineamento. Si etenim de Iride sapiens modulatur. *Gyrauit Cœlum in circuitu gloriæ suæ*. Sic ipse de sapientia, & ego de Gregorio *Gyrum Cœli circuiuit solus, & profundum abyssi penetrauit, & in fluctibus maris ambulauit, & in omni terra stetit*. Sic Iris in vertice Angeli, sapientia in doctifluo capite Gregorij, eius proles (decantent conficta vates Mineruæ ex Iouis occipitio cunabula) extitit gloriosior. Sed quo in Iride modulo salit sal? *Quæ societas luci* ad freti spumosum fœtum?

Ecclesiast. 43.b.13. *Eccl. 24.a. 8.* *2. Chor. 6.*

Trifidi colubri cum Gigantæo Dracone (vt Ioannes Diaconus perhibet) vndarum rotantibus globulis, æstuantibus vorticibus descenderant in mare: sed suffocatæ Cerastæ inter salsos stygij pelagi fluctus fluidæ in littore desse-

Lib. 1. in vita c. 36.

derunt.

derunt. Nec mora, tabificam eructant luem, & luridum halantes æstum aëris infecerunt veneno temperiem. Illico in Romulidum corpora bipereo strepitu feralis grassatur pestis; Crescebant in cumulum strages, & Manes permixto funere squalida corporum subsellia, & farta desserentes alternos luctus vindicabant. Pelagio Pontifice perculso, sagittæ madidatæ tabo, vibratæ cœlitus vagum in vulgus desæuere. Sed *stetit Angelus*, & Iride circundatus tempora tempori subuenit, & sanguineam, *Angeli percutientis*, vaginæ reddidit romphæam, amictus enim Benedictina nube allexit Deum, *vt poneret arcum suum in nubibus*, Iridem in eius vertice. Armatum caput abdidit mors, & vitæ stammini Parca peperit. *Plautus fartum vocat corpus.* *Apoc. 8. a. 3.* *2. Reg. 14.* *Genes. 9. b. 13.*

Ecce in Iride sal corporum corruptellæ intercludens adytum, ne putredinis rubigine marcescat caro, quæ quia, *Corruperat viam suam* antea *dedit abyssus vocem suam, & pactum*, stabilitum fuit in arcu. Sed *quæ vtilitas in sanguine carnis* dum *descendit* animus *in corruptionem*? sic Christiadum saporantur animi condiéte Gregorio, vt quasi super *grammina stylla*, super æthera stellæ, virtutes fideles inter vinxere choros, diuinosque cinguntur in vsus, auratoque sæcla illuxere metallo, gemmantiaque nascentis Ecclesiæ rediere cunabula. Quam insipidos, & efferos mores saporauit, & dum virtutibus saporem, soporem insuflauit vitijs! Erat etenim in area, erat in arca Nohemi immitte tunc ferarum vulgus, in flammigeris Libiæ arenis Donatistarum lethales sphinges; in Iberia Arrianorum colubri; in Alexandria Agnoitarum vrsi: in Sycilia Manichæorum Cærastæ: lugures & Veneti Leonides scysmaticis vnguibus, depexis iubis inconsutile Ecclesiæ syrma laniátes Barbaricini, sardi, & Cápani ęthnico in cultu, *vituli adorátes sculptile* Neophytarú apud Galliá symoniacæ herudines; Ioánes Hierosolimitanus Ecclesiæ *singularis ferus* superbo vniuersalis *Genes. c. 12* *Habac. 3. b. 10.* *Fenes. 9. b. 11.* *Ps. 29. c. 10.* *Deut. 32.* *Psal. 105.* *Psal. 79.*

cogno-

Hilar. cognomento *depaſtus eam.* Sed quia (vt argute Hilarius) * natura luminis eſt, vt quocũque circũferatur, tenebras interimat luce dominante * *Recordatus eſt Dominus cunctorum animantium, quæ erãt in arca*, & in Magno Gregorio *populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam*; & inſipidis & inſipientibus immiſsit ſalem, & ex condiuis iam animorum nidoribus, *odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis.*

Geneſ.8.
Eſai.9.
Geneſ.8.

Hinc poſt Iridem in capite, *ſol enitet in facie* Angeli Magnitudinis Gregorij halans ænigma. Cur *Duo luminaria Magna* Geneſ.2. *Sol & Luna nuncupantur*? Nonne ſydereus chorus ſcintillantibus emicat aſtris, queis mica tellus, & Phæbus, & Phæbe, *tanquam momentum ſtateræ*? Anne quia patulum, quia prodigũ cunctis lumen, nullis dãnatum obicis vectibus, irrorant? Saliat & ſoluat Ambroſius * Non hæc Magna, comparatione, ſed munere; quia in quacunque parte fuerint cœli, illuminatur omnia, & æque ſpectantur à cunctis; vt ea tanquam ſuis tantum regionibus immorari, & ſibi tantum adeſſe, & lucere ſinguli populi credant. Solis radius nulli propinquior, nulli longinquior eſt. Lunæ globus æqualis eſt omnibus; ſimilis Sol, & Indis, & Britannis, eodem momento videtur cum oritur, nec cum vergit in occaſum, minor apparet Orientalibus, quam Occidẽtalibus. * Quam concinna de Gregorio Panegyris! latum clauum, & clauem in fulguranti thronorum vertice tenebat, non ſui diſsimilis, omnibus, ceu Magnus, vnus. Clamitet Heſperus per vitreum Leandri ſpeculum, ſpeculæ huius lumen ſortitus; Erumpat Anglus Angelum hunc ſui modulãs Apoſtolum. Senſit Magnum qui Eufratris latices bibit, qui Nili potat pocula, qui vomere agros ſauciat Aſſyrios, & ſanguine equino paſtus Sarmata. Vſque ad metas Herculeas, ad Athlanthæos receſſus à Tyberino, *flumine vſque ad terminos orbis terræ* tanti ſolis euolauit fulgor. *In omni etenim*

Geneſ.2.
Sap. 11.
Ambroſ. Hexamer. cap.6.
Pſal.71.
Eccleſ.24.

gente

gente, & in omni populo primatum tenuit.

Sic Angelus apud Ioannem Posuit pedem suum dextrũ super mare, sinistrum super terram. Qui? Duo pedes tam dissitis sistuntur in locis? Et si duo, quomodo pedes vnica *Columna ignis*? Etsi ignis, cur sic in mare, sicut in tellure? Flagaret ne Neptunus in vndis, & pelagus æstuantibus fluctibus fluidas Mulciberi flammas vaporaret? Præsulum ò Paradigma! Bifarius pes, columna vna, quia vnicus vbique *Thronus eius sicut sol* en *ortus est sol & congregati sunt conuenerunt in vnum*, & Thetis, & tellus: Et dum salsum mare ignita crepida creperus tangit, *dedit terram fructiferam ex salsugine*, Iam Hilarij enodo nodum. Quare sal terræ dicatur, cum sal maris sit? *Posuit* enim *in mari manum eius & in fluminibus dexteram eius*, vt animarum epula quæ in terra conderet vt sol, condiret vt sal, & quia vtrasque plagas, & æquoris, & aridæ moderatur, sal dictitatur terræ: inter omnifragos ponti fluctus illibata, inconcussa puppis, inter paccata telluris otia Doctor, & Princeps. *Psal. 88.* *Psal. 103.* *Psal. 106.* *Psal. 88.*

Gregorij etenim radius ex solari, ex Phœbœa facie excussus & terram lustrat, & mare illustrat Nulli propinquior, nulli longinquior est. *Illuxit sol in clypeos aureos & resplenduerunt montes ab eis*, & Mauortis agmina, & Mineruæ eruditos choros, & Præsulum montes, & populares myricas croceo regiminis perfudit splendore. Nouerat etenim quod affabrè AEgidius Diaconus perhibuit † Principem non debere esse specularem, sed opacum † natura enim speculi est, vt facies solum refferat propinquas, siue defæcato fuco, siue fusco coloris filo pigmentatas. Non sic mei Doctoris sol, nec opacus, nec speculum, nec axe constituitur in vno; sed axem peragit vtrumque. AEqualem lucratus est cum sacrata virtutum & cohors, & chorus. *1. Mach. 6.*

Non propinquior sapientiæ quam humilitati. Si etenim Augustinus insonat † Si magnus esse vis à minimo incipe. †

Quod altæ fulchrum humilitatis tam gigas moles expeteret magnitudinis? Vſque ad puluerea dimittitur, & vſque ad ætherea mittitur: pergit ad ſumma dum vergit ad ima, *Non*
*Pſal.*103. *ambulauerat in magnis nec in mirabilibus ſuper ſe. & ecce magnus exaltauit animam ſuam Excipite Diuum Zenonē.* * Quæ prophætæ iſta diuerſitas? Non exaltat cor animam exaltat, excelſus animo corde ſummiſſus, humilis in ſuis, nō humilis in ſenſu.

*Pſal.*73. Sic noſter Angelus pingitur *deſcendens*, *Non enim ſuperbia eius aſcendit*, amant enim magnalia in Gregorio deſcenſum potius quam aſcenſum. Non etenim
2.*Cor.*2. *in cor hominis aſcendit*, quæ illi Deus virtutum faſtigia cōſtruxit. Immo & *deſcendens de Cœlo.* Qui deſcendit de Cœ-
*Pſal.*71. lo Angelus, qui cadit Dæmon: Hic ceu fulmen eiaculatum:
*Ioan.*3. ille, *ſicut pluuia in vellus*, effuſſus. Quam ſecurum limen ad
Pſal. 18. aſcenſum deſcenſus! *Non aſcendit ad Cœlum niſi qui deſcendit de cœlo*, Non niſi cui, *A ſummo Cœlo egreſsio eius* in humilitate, in deiectione, in contemptu, *occurſus eius vſque ad ſummum eius*, Nunc flauum mei Bernardi emedul-
Bern. in Aſcenſ. Domi ni ſer. 4. lo fauum. * Quis (ait) docebit nos aſcenſum ſalubrem? Niſi de quo legimus, *Quoniam qui deſcendit, ipſe eſt, & qui*
*Epheſ.*4. *aſcendit*? Ab ipſo demonſtranda nobis erat aſcenſionis via, ne ductoris, immo ſeductoris iniqui aut veſtigium, aut conſilium ſequeremur. Quia ergo non erat quo aſcenderet: deſcendit Altiſsimus, & ſuo nobis deſcenſu, ſuauem, ac ſalubrem dedicauit aſcenſum. * Ne Eccleſiæ faſtigium aſcenderet, deliteſcit Gregorius. Ad illud euectus, dum non erat ſub ſyderibus quo aſcenderet, per humilitatis deſcendit ſcalam;
*Geneſ.*28. per quam videres meum, *Angelum deſcendentem, & aſcē-*
Eccleſ. 50. *dentem*, Quo magis ſe deprimit in *altitudinem ſe extollit*
Eccl. 24. *quaſi palma*, ad baccas decerpendas depreſſa *exaltatur in Cades.*

Radius Gregorij non abſtinentiæ quam largitati propinquior.

quior. Nam (vt Diuo Laurentio Nouarienſi vtar) obduxit ſcutum fidei, induxit loricam ſpei, eduxit iuſtitiæ haſtam, reduxit orationis arcum, erexit eleemoſinæ trophæum. Quam frondens triumphus, & oleaginæ corollæ miſericordiæ frutici innatus tanti victoris vertex! Quater in anno diſtribuendum per Polypticum cenſet. Omnigenam ſpecierum meſſem, quam indeffeſſa eius falci dicabat Ceres, inoccidua ſegete calendatim ad inædiæ pabulum erogabat. Dietim per Veredarios. (Quam Regale miſerationis penſum! Quam nobile Principis tributum!) deſtinat ſtipendia. Et quod nec põdus Hydaſpis, nec diues Pactoli vena, nec aurifer nutriret Midæ tactus, totius orbis orbos dapibus, & opibus, ingeminata, immo ſeptemplici annona, propatulis horreis Pontificio paſcebat alimento, vt melius de Gregorio quam de Probo concineret Claudianus. *Hemil. de eleemoſ.* *Claud.*

Quippe velut denſo currentia munera nimbo
Cernere ſemper erat populis vndare Penates,
Aſsiduos intrare inopes, remeare beatos;
Præceps illa manus fluuios ſuperabat iberos
Aurea dona vomens.

Quid mirum tam diues, & effuſſum cornu ſub pauperis delitescentem ſquallore, ſydera torquentem aluiſſet? Quam nutans ſub ſtipe ſtupor, cum axis Domino propinauit alimoniam! cum immenſa ad menſam conuiua Gregorij extitit maieſtas, & eius largitatis Lenocinio ineſcata ad eſcam ad Paſcua Paſtoris Eccleſiæ ſe dimiſsit! Cõcinne concinam cum Nazianzeno. * Quis te Dominum, & Regem ſuper omnia terreſtria conſtituit? Quis, ne ſingula ennumerem, omnia donauit, in quibus homo cæteris præcellit? Nonne Dominus, qui nunc præ omnibus, & ante omnes humanitatem à te expetiuit? * Humanitatem inter epula homuncio apparens, cui cœlica ſtrata, ſyderea pauimenta nectarea ſudant aſpergine, eius Eleemoſinæ delinitus dulcedine, *Orat. 60. de Pauperum amor.*

Cant. 2. *Saliens in montibus transiliens cælorum colles*, à Gregorio Altitonans efflagitat? Cur non hic attonita sistit Panegyris? Cur oris lora non comprimit, tanti ponderis impatiens lingua, & infantili addicta silencio ineffabile non desinit arcanum? Acumen exero Tertulliani . * Elias minante Iezabel fugiens, quadraginta diebus, & noctibus vacuo ventre, & arido ore peruenit in montem Oreb, vbi cum in spelunca diuertisset, quam familiari congressu Dei exceptus est. Quid tu Elia hic? Multo amicitior ista vox quam illa Adam vbi es? Illa enim pasto homini minabatur; ista ieiuno blandiebatur, tãta est circumscripti victus prærogatiua, vt Deũ præster homini contubernalem; parem reuera pari * Videor ieiune ad Gregorij conuiuium ieiunij ex Tertulliano accersere præconia. En Dominus Eliæ cõtubernalis, par pari, ieiunans ex natura, per gratiam ieiunanti. *Numquid* enim Dominus *manducabit carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabit*? Adeo exesi inedia genis, impasto indulget gutturi, vt impransi hominis comilitonem induat. Cur nunc ad Gregorij fercula, ad conquinaria pulmenta inter inanem inopum turbam, famescentis adinstar, beneuolus ad hospitium, gratus ad officium pietatis, mendicus ad largitatis fontem demittitur? Soluam si prius alio me obice expediam. Illice pomi quasi suaui æstro percitus delitiosa Paradysi cunabula amisit Adamus. Quanta in vnius esca strages, & seges malorum rediuina! Luteum Dei primæuum opus incæpit ignorare Deum & quem, non apertis oculis, prospectabat dum *aperti sunt* non coguouit. En postea *Peregrinus* apud *Emaus* conducitur Dominus, & dum à Discipulis nescientibus conuiuatur, *accepit panem, & fregit, & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum*. Do nunc Diuum Anastas. synaita * Factum est autem cum ipse recumberet cum eis, accipiens panem benedixit, & fregit, & dedit eis; eorum autem aperti sunt oculi. Ecce habes escam, habes etiam per

Margin notes: Deieiunijs cap. 6. — Psal. 59. — Genes. 3. — Luc. 24. — Lib. 10. exam.

escam

escam visus recuperationem, & Dei agnitionem quem per escam ignorauerunt Protoplasti. * Hinc etiam pulchre accinit Diuus Damascenus ex Euagrio * Peregrinus Dei est *Lib. 3. Paral. c. 37.* collirium qui eum excipit confestim visum recipiet, * Ecce ab vtroque noscitur, & pascitur Deus à ieiuno, & à cibante pauperem, ab Helia, & à Tobia, à Discipulis, à Gregorio, par pari, contubernalis efficitur ieiunus ieiuno, & *qui dat escam omni carni*, dāti escā omniū Domino infamelico, in mēdico.

Vt ergo Gregorianæ misericordiæ, largitatis, eleemosinæ laxa Dominus ostentaret vbera, ad eius dapes contubernalis appulit; vt quod anhela Deitatis hydropisi, sitienti Di- *Ps. 135.* uinitatem morbo per pomum laborās Protoplastes perdiderat, nunc per escam lucraretur Gregorius peregrinanti Do mino porrigens alimentum. Si etenim Dominus Ægypti, & *Genes. 45.* Pharaoris constitutus est Ioseph; quia fecundata frumentis horrea famelicis AEgyptijs aristas germinante manu dispensabat: secundum Diuum Ephrem * frumentum mundi *Tom. 3. parenes de timor Domini.* est vir hospitalis * Et si Deitatem hospitem frumento pascit quasi Dei Dominus (sic liceat fari) efficitur Gregorius. *Eritis sicut Dij*, dum fauces titillat, sibilanti vafer astu, insuflat *Genes. 3.* coluber scientiam offert vt prodat stultitiam, *homo cum in honore esse non intellexit.* Meus Doctor *cui intellectus fa- Psal. 110. cienti eum*, ellussum, & illisum per escam, per escam reparat, promissum venatur. Et in ipsum Dominum misericors quasi Diuinitatis sigillatur effigie; si etenim acute Diuus Efrem * Misericordia Domini velut sigillum cum ipso * *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes* misericordes *quo- Psal. 81. niam vestrum est regnum Cælorum.* *Matth. 5.*

Nunc Chrisologi præsensi acumen * Deo est (inquit) *Serm. 14.* ampla paupertas, cui angustum est cœlum. * Vbi pauper Deus in paupere alitur Regnū illico in cœlis misericordi acquiritur, & incipit Deo ampla paupertas; cui ceu diuisum cū misericorde videtur angustari cœlum. Quam angustum

quam augustum polū Magnus efficeret Gregorius, si æthe-
rea claustra cancellorum pomærio cingerentur; qui exube-
ranti benignitatis amne turrita conuexa debellauit? Anne di
Matth. 25. uidenti regnum & clamitanti Domino, *Esuriui & dedisti*
mihi manducare sitiui, & dedisti mihi bibere, responde-
bit *Domine quando te vidi esurientem & paui, sitientem,*
& dedi tibi potum hospitem & collegi te, qui vere viderat
Iob. 31. pauerat, collegerat? Respondebit quidem: qui *perpegerat*
fœdus cum oculis suis, ne viderent manum munera pauperi-
Matth. 6. bus effluentem, *Pater solum videbat in abscondito* Domi-
Exod. 33. Sic Ioan. num cibauerat: nec tunc agnouerat. Solum postquam *tran-*
Diac. *sijt posteriora eius vidit*, qui tantum habuisse hospitem hu-
mili mirabatur stupore. Quam comes misericordiæ largitas,
quæ pauperis os, faciem, personam nec cernit, nec discernit,
sed cæco liberalitatis gurgite, quodcūque obuiū, absque exa
minis tritura, & trutina, germen humectat. Etiā si ipse Domi
Matth. 5. nus pascatur in inope, ne *recipiant mercedem suam*, oculi
nō debent in illum, obtutum fixū eiaculari; ne & Domini &
Serm. 7. Hypochrisis *oprimantur à gloria*. † Hypochrisis (differit
Chrysologus) secura simulat fallit prospera, curiosa menti-
tur, & crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum: ieiu-
niū ieiunio perimit, misericordiā miseratione prosternit. †
Genes. 19. d. 18. Meditabar cum duobus Angelis loquentem Lot, Ge-
nes. 19. *Dixitque Lot ad eos. Quæso Domine mi, quia inue-*
nit seruus tuus gratiam coram te. Quæ comitas hæc elo-
quij? Quæ connexio? si ad eos loquitur, idest ad duos: cur sin
gulariter fatur *Domine mi coram te?* Aut fallor, aut feror in
veræ eleemosinæ, & beneficij ingenium. Duos Angelos
Ibid. ar. 3. quasi peregrinos exceperat. *Compulit illos oppido vt diuer*
terent ad eum ingressisque domum illius fecit conuiuium,
& coxit azyma, & comederunt. En quia cibauerat: non be
ne duos viderat: immo misericordis officij immemor, gemi-
natum hospitium oblitus quasi cum vno loquellam ferit, ò

oculata

oculata quia oculi æ miſericordiæ cæcitas! Dū tibi denegas beneficij obtutū, tutū facis beneficij lucrū. Quia Dominum non vidiſti eſurientem, videbis te beatitudine nutrientem. Iam de ſole diſſeruimus in Angeli facie. Vtinam ſine fæce.

Sed ſi Sol & Luna luminaria Magna dicuntur: Quare Sol in facie Angeli ad Magnitudinem Gregorij eloquendā vbi Luna? Fatur etenim Ambroſius. † In hoc Lunæ ſiſtit magnitu do, vt etſi eius interdum augeatur lumen, atque minuatur, tamen eâ lem nocte qualis mihi apparet, talis & omnibus † Sed hæc non *Lucerna ardens & lucens*, Qualis Euangelica Gregorij, *Sapiens enim permanet vt Sol*; *Stultus vt Luna mutatur.* Mel mel Bernardi propino, & propono: † Quia ſplēdet Luna ſine feruore, modo plena, modo exigua, modo nulla videtur; Mutuatum ſiquidem lumen nunquam in eodem permanet ſtatu, ſed creſcit, deſficit, extenuatur, ad nihilatur, & penitus non comparet. At vero ſolis ſplendor igneus eſt, cum feruet acrius, etiam lucidior exhibetur. † Inoccidua Gregorij Magnitudo, *Quaſi arundinem uento agitatam*, hęſitantem flexibilitatem recuſſat. Nunquam extitit ſine luce quia nūquam ſine ardore Sic *pedes Angeli ſicut columna ignis*, *Ignem* enim *venit Dominus mittere in terrā. Quid volo* (inquit) *niſi vt accendatur.* Quare nō vt luceat? Quare non vt ſplendeat? Simulata lux eſt, quæ non ab igne procedit; tremulus, fragilis abſque feruore ſplendor. Prius ardor ſit, deinde nitor: cum *fulgebunt iuſti ſicut Sol in regno Patris eorum.*

Sed in facie Gregorij ſtatim ſol & ardet, & nitet, & emittit in feruore radios ſuos; ſoluit glacies, paludes ſiccat, algentes calefacit, pauperibus eſt pro veſtimēto. Sic extitit & *lux mundi*, & lux munda, ingeniti non exteri luminis ſcaturigine incenſus, quo totus cōflagrans orbis *igneo* virtutum *currū* limoſi ponderis *demiſſo pallio*, per eius ſpiritus validum *turbinem* ad cœlum euolabat. Hinc Angelus cui pedes ignis,

Sup. Hex. cap. 6.
Ioan. 5.
Eccleſ. 27.
Sermon. in Natiuita. Ioan. Bap.
Matth. 11.
Luc. 1.
Matth. 13.
Bernar. de verb. Eſai. ſerm. 30.
4. Reg. 2.

nis, cui sol efformat faciem, nonne Seraphin erit qui ardens & incendẽs interpretatur? Seraphin quidem, Seraphin Gregorius, & dum *sedebat super solium Ecclesiæ, excelsum, & eleuatum; Seraphin stabat super illud.* Si etenim mei Bernardi consulo defæcatam intuitus aciem ✠ In duobus (inquit apud visionem Esaiæ) Seraphin, arbitror intelligi creaturam rationabilem, angelicam scilicet, & humanam. ✠ Nec mireris (accinit) hominem Seraphin factum, memento, quia creator, & Dominus Seraphin factus est homo. ✠ Si igitur homo flagranti charitatis ardescens in pyra, & Phænicis ad instar, *quasi per ignem suam reparans iuuentam*, ad Hierarchicum Seraphin euolat statum; cur non id Gregorio contigisset; qui etiam si magnus erat, *leuauit se supra se*, & flammeo amoris in rogo spiritus eius enutritus, in tam ardentis *cibi fortitudine vsque ad montem Dei Oreb ambulauit*, vsque ad æthera, alarum Seraphico plausu penetrauit accensus. Lux fuit non iubari solum deseruiens, sed flammæ, sed combustioni, sed incendio; Non solum Lucifer vt Apostata Angelus, sed etiam ignifer, vt Apostolus Angelus. Aduersus Luciferum ipsum constitutus.

Esai. 6. — *Super illa verba, ser. 3.* — *1. Corin. 3.* — *Thren. 3.* — *3. Reg. 19.*

Diu mihi sedulam torsit mentem. Cur homini ex verno Paradysi viridario exuli. Ne floridam naturæ pompam, & roseos deliciarum thalamos reuiseret: Versatili minitans gladio ad custodiam sistitur Angelus; & cum de cœlo, *cadit fulgur*, iam non fulgor, sed tenebrarum arbiter, cum ruit Lucifer, & trifida verberante cauda, oreque eius patulo fumanti siderei caligantes chori illius præcipitium sotiarunt; Nullum ad valuas cœli, ad ostium Impirei, ne repetat, qui reptat, stabilitur præsidium? Per contanti menti respondere sitiebam, & dum mei faui fibras, mei (inquam) Bernardi fimbrias, tangere soleo. Salus illico contingit desiderio. ✠ Dico vobis (ait) quod sentio, nec sanè affirmans dico, sed coniectans, quoddammodo, & opinans. Quid enim æstimare vetat deie

Genes. 3. — *Esai. 14.* — *Apoc. 12.* — *Supra sermon. 5.*

cto Lucifero ad peruigiles excubias Seraphin constitutos, si cut eiecto homine teste scriptura Cherubin ad custodiam posuit Deus? * En Seraphin Esaiæ, dum alijs alis volant, alijs velāt caput, quo delitet diuinitas, maiestas, potestas virtus: & pedes, id est sapientiā, iudicia, Dominicæ Incarnationis æconomiam, Diuini Triados Lucifero cœlum abscondunt, in quem (sic D. Thom.) ipse saliente superbi pruritus supercillio ascendere gestierat. Nunc ergo ex duobus Seraphin, quorum alter apud Bernardum Angelicus, humanus alter, in humano Gregorium agnosco aduersus æstuantem Luciferi astum tanquam axis custodem collocatum, sic eius nomen quod interpretatur, vigilans, peruigilem illum ad excubias euulgat. O quam munita Cœlica mænia! ad contumeliam tuam ò superbe, qui creatus inter Angelos, inter Angelos stare non meruisti; ecce Rex noster nouos in terra Angelos fabricaturus aduenit. 1. p q. 61. art 4. ad 3. Esai. 14. Bern. ser. 3

Nonne ex Luciferi tumenti mente, quasi prægnato ventre nata soboles, perfida progenies, Hæreticorum (inquam) ceu *viperarum genimina*, effluxere? Quot ascendere in cœlum Patria infestantes vestigia gliscunt, & liuore saturatis linguis Triados temerè temerare sacramentum! Quot similitudinem ambiunt Altissimi increato similitudinem Verbo eripientes, diuinitatem inficiantes; Incarnato, vel humanitatis, vel Deitatis commercium serpentino sui parentis modulo sibilantes, & qui solus Diuino Filio insidias tendere Lucifer non valuit quasi multiplex, quasi multifidus in propria prole totis rudentibus emolitur. Sed stat Gregorius, *custos qui de nocte, custos qui de nocte*, tenebras repetito doctrinæ sydere, abluit, & cœlestes vectes ab hostili Hæresiarcharum strepitu defensans; Impyrei adyta abdit, & cingit illibata Quis firmiori arce Trinitatis custodiuit cœlum, & *latera Aquilonis ciuitatem Regis Magni*, ab inhiante, *lateribus Aquilonis*, præmuniuit? ille ascendere in cœlum efferus cre- Luc. 3. Esai. 21. Psal. 47. Esai. 14.

Iacob. 4. pitabat. hic Angelus descendens de cęlo præsignatur. Et *humilitatis gratiam adeptus superbo resistit*. Ille vt erat frigidus algens, niualis frigidam Aquilonis regionem concupiuit, & non ignem sed lucem desiderans quia concreta gelu nitidiori lux spargitur crine frigidiorem sphæram adamauit. Hic lux, sed ardens sub flammanti purpura, sub ardenti Charitatis throno gelidum superbiæ flatum exuflauit. Ille quia
Ezech. 28. solum *Cherub protegens* cecidit, hic quia etiam Seraphin ascendit.

Nec etenim Gregorius solum ad Seraphin, sed & ad Cherubin aciem valet adnecti. Doctor est, sapientiæ fanum, & scientiarum lycæum, gemina ala circumdatur, & agnitionis,
Bern. sup. Psal. 67. & charitatis. * Ruit citius qui vna tantum ala volare contendit; & quo magis attollitur plus colliditur. † Quam præpes in illo agnitionis ala! quam præpes charitatis! *vtraque penna*
Ad Philip. 3. *argentata, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Quæ retro sunt obliuiscens*, Non sicut Philosophi gentium, quia vnica tantum elatæ scientiæ ala, volitare gestientes, *cum Deum*
Ad Rom. 1 *cognouissent non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis.*

Genes. 3. Alam scientiæ boni, & mali promisit primis parentibus
Psal. 54. ille vafer versutus, & sciolus serpens, non *pennas sicut columbæ vt volarent*, sed serpentinam elationis pennã, vt magis
Deut. 32. serperent, quam saperent, *vtinam saperent, & intelligerẽt, & nouissima prouiderent*. Dilectionis alam non solum dissecauit sed auulsit. Vnde meus Rupertus de Adamo fatur. * At ille ingratus debitum Charitatis non rependit. * Vis hanc geminam alam coniectari? Pennigeram Charitatem, Gillibertus Abbas arguto vocitauit elogio s. sic. & *volumen*
Zachar. 5. *volans*, vidit Zacharias alia littera habet, *Falx volans*, quia pennatus scientiæ plausus sine Charitatis ala falx est findẽs,
Iacob 4. non fax illuminãs, *scienti enim bonum & non facienti peccatum est illi*. Meditor quod simul sunt serpentes & volucres

pennã-

pennatæ, & tamen serpens super pectus suum graditur, quia callidior cunctis animantibus, & vna ala non potest volare, sapientia eius deuorata est.

Solū serpens, quę cōuertitur in virgā duplici penna redimi tur: solūque exaltatur in deserto *volauit supra pennas vēto rum*, quia illa Magicæ scientiæ deuorauit serpentes, hæc erat *vmbra futurorum, scilicet corporis Christi*, in quo non solum Deus sapiens, sed Deus Charitas est. *Pal. 17.* *Colos. 2.*

Sedula auiditate rimabar Cherubicum Paradysi custodem. Cur Cherubin ad valuas voluptatis arcis? & si Cheru bin, cur tam igneo armatus stholone vibrans gladium mina rum eructat horrorem? Nonne Hierarchico ingeniti vigoris statu affatim munitur aduersus *quem proijcit ventus à facie terræ?* Aduersus *hominem inopem & mendicum compū ctum corde*, tribulis punctum, ludibrium vitæ, pabulum mor tis? Dissimiles in hoc inuenio Patres. *Psal. 148.* *Genes. 3.* *Psalm. 1.* *Psal. 108.*

Meus Bernard. flammeus tradditur gladius, vt à ligno vitæ *Incisio pariter, & incensio, quibus nihil carni terribilius manum* prohiberet corporalem † Conspicua hæc, & subtilia, sed vlterius, *scrutans scrutinio*, video delineatum in atrio Paradysi, & depictum in ostio ad supplicium, ad custodiam, quod interius acciderat ad culpam. Scientiæ inhians Adamus, immemor extitit charitatis, & Luciferi assecla lucere maluit, quam ardere, sed geminato vulnere scientiam perdidit, & amorem, splendorem, & ig nem. Hæc intus ad noxam: en foris ad pœnam è conuerso, Cherubin statuitur, qui sciens, interpretatur, cum flā meo gladio, id est cum charitatis igne, ac si per auras reso nāret. Scientiæ & dilectionis deffectus hominem â volup tatis loco, à deliciarum luco ablegauit, vsq; ad scientiam, cum charitate coniungat, & cherubin fiat Seraphicus, Seraphin cherubicus Paradysi non repetet arcanum. Quam breuiter me interlinealis edocuit: *Cherubin* (ait) *id est plenitudi-* *Genes. 38.* *Interlin.*

nitudinem scientiæ, *flammeum gladium*, *idest plenitudinem amoris*, ac si diceret; ex flagrantibus sapientiæ, & dilectionis cautibus, & scopulis Angelicus hic animatus murus construitur. Nec poterit oppugnari, nisi ab aduerso
Joan. 1. eiusdem materiei muro: nisi sit homo: *plenus gratia, & ve-*
Ibidem. *ritate*, scientia simul & amore; *lux vera*, idest ex igne,
Luc. 1. quæ *veniat ignem mittere in terram*, floridum non reserabitur penetrale.

Esai. 9. Quid vltra? *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis*, & quia orta, ideo feruens, flammea, deinde coruscа, splendida non mutuata, non mutata, non empta, nō
Math. 28. dempta, sed *semper nobiscum vsque ad sæculi* cineres. Et quia sic conditio adimpleta. Cedit cherubin, & adytis nō iam abditis, sed apertis repatriat homo, & veterina faustus vindicat Pensilia. Sed cur tunc solum, & non antea Paradysum Dominus memorat, dum in cruce latroni Furci-
Luc. 23. fero *Paradysus* promittitur? Iam video, quia scilicet consumata æconomia, quasi extiterat conditio.

En ignitæ lucis victoria. En flammantis iubaris triumphus, sic ab eo, qui lumen est lumen ad Ecclesiæ Doctores hæreditario munere emanauit. Sic postquam dicitur: *vos estis lux mundi*, dein subiungitur *lucerna*, quæ prius, quam luceat alijs, ardet sibi. Nonne sol in Angeli genis, doctæ dilectionis, feruidæ sapientiæ Magnitudinem explicat in Gregorio? Quid mirum tot ad Paradysi reduxerit nemus tot ad cœlestia euexerit conuexa Cheru-
Hebr. 4. bin incensus, cum verbo Dei *penetrabiliori omni gladio ancipiti* humanæ sobolis dux et redux; Seraphin sapiens aduersus hæreticam Coccyti plebem, et Luciferini strepitus fumantes halitus?

Non exterum emendicabat doctrinæ radium, cui sol
Cantic. 7. supellex: *sed vmbilicus eius crater tornatilis nunquam in-*
S. Chald. *digens poculis*, ex eius vitreo scientiarum fonte, tot corri-

uantes,

uantes latices innocuo lympharum alueo auidam addiſcendi mentem lactant. allectant. Non tædeat Ioannẽ Diaconum de Gregorio fantem auſcultari. * Tunc rerũ ſapientia Roma ſibi templum viſibiliter quodammodo fabricarat, et ſeptemplicibus artibus veluti columnis nobiliſsimorum totidem lapidum Apoſtolicæ ſedis atrium fulciebat. Nullus Pontifici famulantium â minimo vſque ad maximum barbarum quodlibet in ſermone, vel habitu præferebat; ſed togata Quiritũ more, ſeu trabeata latinitas ſuum latium in ipſo latiali palatio ſingulariter obtinebat. Refloruerant ibi diuerſarum artium ſtudia, et qui, vel ſanctimonia, vel prudentia forte carebat ſuo ipſius iuditio ſubſiſtendi coram Pontifice fiduciam non habebat. * En coniuctũ ſanctitas, et ſcientia, ignis et fulgor. *Magnus etenim Doctor noſter, & magna virtus eius, & ſapientia eius non eſt numerus.* *In vita, libr. 2. c. 13.* *Pſal. 124.*

Quid pulchrius! quid ſublimius? dum latomus ſacer cuſpide acuminis extitit Gregorius: *ſapientia excidit columnas ſeptem.* Cuius in opificij templo ipſe, vt lucerna ſuper candelabrum emicabat, *non ſub modio*, ideſt, non ſub menſura, ſed prodigo luxu lumen eflans. Non trutinans, ſed ſeminans lucem, et ſemetipſum, vt paſcat depaſcentẽ. *Prouer. 9.* *Exod. 35.*

* Magnus iuſtitiæ ſplendor (inſonat Ambroſius) quæ alijs potius naſcitur quam ſibi. * Quid eſt magnum quod non in Magno, Gregorij ſæculum apud Bonauenturam inter plurium partitionem ſæculorum contigit iuſtitiæ, quæ *de cælo proſpiciens* tanto allecta throno *correctio fuit ſedis eius.* *Ambroſ.* *Bonauent.* *Pſal. 84.* *Pſal. 96.*

Omnia hæc liber apertus indicat quem habebat in manu ſua Angelus. In manu ſua, non extera; apertus, non *complicatus ſicut liber cæli.* Ipſe etenim *dignus fuit aperire librũ*, exarare litteras nullius temporis calamo oblitterandas: licet etenim *ſumpſit ſibi librum grandem, non tamen ſcripſit ſtylo hominis*, ſed Angelicæ pennæ volante filo ſeraphyco, *Eſaias. 34.* *Apocal. 5.* *Eſai. 8.*

Esai.6. *calculo quem tulerat de medio* veritatis *altari* diuina myste riorum conscripsit monimenta. Vere est *liber cœli* quem di-
In Matth. xit Esaias liber Gregorij, qui sicut D. Rupertus de sapientis mente canit; habet lucida sydera, status motus, concinnas choræas, diuinos circuitus, virtutum splendores fulgidissimos, & omnigeno doctrinæ imbre omnium irrigat disciplinarum, & morum segetem: vt nouum & viuidum hic liber sit simulachrum, quale Cedrenus à Chrosroe Persarum Rege constructum commemorat. In quo cœlorum similitudo apparebat, astrorum conuersiones, sceptris ornati Angeli, tũ imbres fluere, mugire tonitrua, ipse quasi humanus Deus spectactabat omnia. Quid enim cœleste, quid ad morum imbres, pertinẽsquod non in libro Gregorij prospiciatur? Lucerna quidem est accensa, quæ omnia, quæ in ætherea domo sunt nõ manufacta in cęlis pellucida, & oculis peruia reddit.

Sed vnde lucernæ oleum? Pulchrè Cyrillus de lucerna Ioannis loquitur. † Non aliunde vim illuminandi habuit, quam ab intellectuali oleo, quo huius illuminationis ignis accenditur † Doctifluo spiritus ardebat Gregorius alimento Nam *cum clamaret Angelus loquuta sunt septẽ tonitrua voces suas.* Quis modulus hic loquællæ? solum sonitu tonantes increpuere poli non ellaborata voce fantes. Sed hæc sep-
Psal. 32. tem sunt spiritus charismata, & *in spiritus oris eius omnis*
Psal. 67. *virtus erum*, sic qui in pedibus ei extiterat columna, in aure extitit columba, & interiora, *auris eius in pallore auri* ditauit. Hinc (vt alias Nazianzenus) in Gregorio * Dei filius
Esai. 33. belli socium nanciscitur, spiritusque hominem, qui pro ipso spiret, inuenit * Sic *à voce huius Angeli non fugerunt, sed*
Ibid. suxerunt *Populi innocua sapientiæ pocula.* Non *consussus est libanus & obsorduit*, sed confessus est quod absorbijt doctri-
Psal.71. næ *stillicidia stillantia super terram*; Namque eius *vox nõ*
Psal. 28. *confringentis*, sed confingentis, sed compingentis *Cedros*, ex quibus cedrina Athænea ob eius eloquentiæ roscida fluẽ

ta ab horrido erroris viperei morsu immunia, *in Cathedra seniorum laudant eum.* *Psal. 106.*

Quid mirum totum orbem voce deuincat, & deuinciat Gregorius, & hæreseos eruderatis fæcibus peccatorum voragines exufflet, scientiarum imbres irroret, limosa terrigenarum simulachra sui solis scintilis, vt verus Prometheus informet, fæcundet scholas, artium instauret Choros, Ecclesię Dogmata stabiliat; omnigenam ætherei Numinis cultus propalet pompam, si septem diuini spiritus tonitrua dederunt voces suas cum Angelus clamaret voce Magna? Quid ni Magna si magni? Hic vox loquentis quantitati mensuratur. Quot eliquant vocem non è pectore progenitam, sed adoptiuam & moles nugas, & coquinaria verba gracili tinnitu cōdientes Principibus assentatores blandiuntur! Quot sexquipedalia conducunt verba, & vocis ampullas locant vt *appareant hominibus*, magniloqui! In vtroque non neruis consonat vox; altera ex forti elumbis; altera ex elumbi fortis progreditur, *vox Iacob, manus Esau* Non *dant sicut tronitrua voces suas*, sed eripiunt alienas. Qui ad vocis nundinas non tendit, nec vernaculam sui cordis defferit linguam, & eodē semper spirans gutture organa non mutat ementita, siue plebs, siue Rex audiat, hic liber est, non mancipium ambitionis, vbi talis oris, *spiritus ibi libertas* Dominum non habet. Cū etenim *labia nostra à nobis sunt: quis noster Dominus est?* *Genes. 27.* *1. Cor. 3.*

Quam Magnisonus semper in voce noster Angelus, Magnus in nomine, Maximus in munere: Nonne ad sonitum Imperator Mauritius emarcuit? Quam imperiali fronte, quam fausto fastu Imperatorem incussat! En sub Christi vice, & voce aloquitur. †Ego te de notario comitem excubitorum; de comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperatorē, & non solum hoc, sed etiam Patrem Imperatorum feci, Sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis? † Quam fideli lance oris metitur verba *Psal. 11.* *Ioan. Dia. lib. 3. c. 50.*

Pſ.75. cum cordis Magnitudine. *Terribili dum auffert* male ſua-
Ioſuæ.6. dum *Spiritum Principum terribilis apud Reges terræ*, Auſ
cultor ſub hac mei Angeli voce magna Ieſum Naue, qui in
reſono tubarũ ſtrepitu Hierico murorum fidem ceu valido
Ioan.1. Matth.21. confregit ariete, Audio *vocis in deſerto clamantis* alternũ
in Gregorio repercuſſum reſponſum, Nam ſicut à *diebus
Ioannes Baptiſtæ Regnum cœlorum vim patitur*, ſic cęlites
valuæ, ſic ænei muri, manſuroque adamante cincta ſuperni
clauſtra poli, & duro metallo imbuta, & induta repagula, vt
papyracea, ad Gregorij vocem labaſcunt, & Erebi ſtygioſa
1.Reg.18. pallus pallida, & pauida Imperatorẽ reddidit. Dauidem in-
tueor canoris cytharæ neruis, & vocis dulci modulamine,
Sauli ſalutem decantantem, exterminantem Dæmona, &
Pſalmodiæ metris ſtudentem; dum proſpecto Gregorium cę
Carmelita in epig.D. Greg. leſtis in Eccleſia Artificem cantilenæ. De quo Baptiſta Mã-
tuanus.

Hic docuit cantare Choros meliciſque animauit
Verba notis ſacriſque dedit formamque, modumque.

Quid plura in hoc prædiuite cornu quidquid vbique fuit ni-
tidum coruſcauit, & vario quæ germinat ortu diſperſus vir-
tutis honos effluit in odoratam congeriem. Collecta tenuit,
quæ diuiſa beatos efficiunt.

Sic etenim Angeli decoratur Iride vertex, vel vertice
Iris, & in illo trifarius circulus ex aduerſo ſole quaſi ingenio
ſi penniculi primoribus lineis ductus coloris punicei, viridis,
& purpurei, vt eſt apud Vitellium, variegatam lapidum verſi-
colori luxu Pontificiam deſignat Thiaram, & quia *magna eſt*
Pſal.20. *gloria eius*, ſuper Magnum, *gloriam & magnum decorem
impoſuit*, Conſpice in tota Iride Gregorium Benedicti filiũ
vtpote omnium iuſtorum ſpiritu plenum. In tranquillitate
arcus, fluuijs vndarum vorticibus vectes obſerantem Nohe-
mum: in opacitate nubis Abrahamidem fidei propugnacu-
lum; inflammeo colore legiferũ Moyſem coruſcanti facie è

monte

monte fulgurantem: In igneo Eliam Ecclesiæ, *Currũ Israel, & aurigam eius*: in cæruleo geminatum Elisæi spiritum cærula diuidentem; in luteo obedientem Isaacum; in puniceo theoriæ cœlestis Scholæ sub schala artificem Iacob: in splendenti arcus gloria Salomonidem; In colore croceo Apostolum, Martyrem in purpureo, in niueo virginem, in herbaceo Monachum, & in omnibus omnium simbolum, recapitulationem, mysterium. *Exod.* 34. 4 *Reg.* 2. *Ibidem.* *Gen.* 28. *Luc.* 12.

Aqua sapiẽtiæ salutaris potauit illũ Dominus, & sic in omnibus virtutũ germinibus, *sicut aqua effussus est*, nec colorẽ nec saporẽ innatũ habet, vt omniũ saporẽ, & colorẽ reddat. † Omnia calore germināt humore nutriũtur (dicebat Chrisologus) vnde Parens Deus ignis, & aquæ cõmercio nos germinat, nos nutrit. † Quid aquæ cũ Gregorij sapiẽtia, Magnitudine, spiritu? Aqua omniũ florũ imbibit formas in illis imbibita; imbri maritatus cæspes florigerã parturit sobolẽ; per vberes telluris caliculos tremulus serpit latex, & qui fuit lympha, in lylio fit lylium & albicat, in rosa turget & ardet; in vihola punicat, in heruis viret, in Narcissis purpurascit, & in omnibus vna disecatur, multiplex vnitur. Belle Cyrillus Hierosol. * Nam & Paradyssum totũ fons vnus irrigat, & vna pluuia in vniuersum descendit mundũ, quæ alba quidẽ fit in spinis, rubea autẽ in rosis, purpurea in hyacinthis, ac in diuersis speciebus diuersa, & in omnibus fit omnia * Bibente Gregorio ex sapientiæ aqua *flumina de ventre eius exibāt*. Et irrigantia non solũ telluris sed & cœli strata, vbi *aquæ quæ super cælos sunt laudant nomen Domini*, omnium spirituũ thronos inundātia omniũ iustorũ spirituũ plenum illũ effecerũt suus extitit Parenti Benedicto heres, qui *exultauit vt videret diẽ Gregorij vidit & gauissus est*. Miraris quod eius sapientiæ fontes in totum mundũ ebullirent, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, Columbam ad aurem cõspice doctrinã flamine insuflantẽ, rostro litteras exarātẽ. *Eccl.* 5. *Psal.* 21. *Serm.* 114. *Cathec.* 16. *Ioan.* 7. *Psal.* 148. *Ioan.* 8. *Sic Anthor est D. Bonauent.* *Genes.* 1.

Merito concinit Ildephonsus. * Vicit sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum. * Tribuat suo elucidatori Iob elogium quod sibi concinit scriptu-
Iob.2. ra, *Eratque vir ille Magnus inter omnes Orientales* id est inter Abrahamidum genus virtute pollens, virtutis prolē.
Homil. 1. Sic etenim ibi accinit Origenes * Magnus appellatur, quia Abrahā per Deo dilectā fidē est imitatus; quia Isaac in verissima cordis castitate est sectatus, & Israel in perspicua cordis puritate appropinquauit & Moysi in mansuetudine, & Samueli in iustitia. * Ecce, quod adhuc de Magno Gregorio modulabar, præconium.

Iam finio pomærio, metā præstituo, vno fasce cuncta cōplector. Magnū Deus effecit Gregoriū, Magnū Gregorius
Luc.1. effecit Deū, *Magnificauit illū, qui fecit sibi magna.* Anne Paradoxa veritatis præteruolat arcē? Immo veritatis in arce
Lib. de resur. carn. nitet, in axe nititur. Humanum corpus facæte vocitauit Tertullianus diuini afflatus vaginam. Vnde homo hoc afflatū
Genes. *factus in animam viuentem*, apud Philonem est Dei simulachrum, radius; apud Chaldæum, symbolum, vt reffert Psellus Philosophus; apud Salomonem proprietas; apud Moysem imago, apud Tullium abscisio, delibatio: apud Platonicos sigillum. Dum igitur imago breuis est, paruula est, tantillum speculum, quomodo fideli filo; & pennicillo grandē refferet Archetypum? Cum vero imago crescit, dum grandescit anima, magnus incipit apperere conditor eius qui in
In luc. Homil.8. illa prospectatur. Excipite nunc Origenis ingenium. * Vnusquisque nostrū ad imaginē Dei formans animam suam, aut maiorē ei, aut minorē ponit imaginem, vel absoletam vel sordidā, vel lucentem. Quando igitur grandē fecero imaginem id est animā meā, & magnificauero eā in opere, cognitione, & sermone, tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse Deus cuius imago est magnus fit. * Quid pro Gregorij emporio

splen-

ſplendidius? Adeo virtutum pabulo eius animus gigas excreuerat, vt magnitudinem quã dedit nomini, dedit, & Numini. In opere, in cognitione, in voce Magnus. Immo in toto ſpiritu. Illud in meo Angelo ſedulus perluſtraui. *Vidi Angelum deſcendentem de cælo* (canit Ioannes.) *Et poſuit pedem dextrum ſuper mare, ſiniſtrum ſuper terram.* Dum deſcendebat poſuit; nonne prius erat deſcendiſſe? Tam pernici deſcẽſu iam pedem habebat in æquore, pedem intellure, qui nõ dum diſsitus ab axe? Quam grandis ſpiritus quã procera mole, & conuexa tangit & imma; ſyderea cingitur corolla cui iam *tellus ſcabellum pedum eius*, ſic ad magnitudinem arboris depingendam apud Danielẽ dicitur, *Ecce arbor in medio terræ magna & fortis, & proceritas eius contingens cælum*: ſic & columna ignis quæ ſuper Gregorium emicuit vſque ad poli cacumen euolabat, vt iam ſentias Magnum in illo effici Dominũ. Quod intonuit Iſaias Oculi tui videbũt Ieruſalem quia ſolum ibi Magnificus eſt Dominus, vel vt vertit Cyrillus, *Quia nomen Domini ſecundum magnitudinem ſuam ibi ſplendet.*

Pſal. 98. *Dan. 4.* *Cap. 33.*

Ad magni igitur Doctoris crepidam ſubmitte pileos Academia Mater; ſapientibus tu lupatis, vt rationalis Auriga rationalem orbem moderaris.

Omnis nobilitas, omnis tua ſacra frequentat
Tybridis, ac Latij ſoboles, te Hiſpania doctis
Ciuibus, & fuſſo ſtipauit gloria cornu.

Te Pindarus vocitet coronatorum matrem, qui multifidis, & verſicoloribus chriſtis aliti Iunoniæ oculis prætexæ æmuli, rutilis quaſi in vertice pennis corporis deſſeritis glebas, & ſcientiarum præpeti remigio ad aſtrigeros tractus euolatis. Ad *Lucem mundi* ad Gregorij radios reuertimini Aquillæi Sacratæ Theologiæ fætus niueis in apice chriſtati fibris, Theologicam in illo nec hæſitanti intuitu oculorũ aciẽ examinate. Queis mons cedit Romuleus vbi Dieſpiter Iupi-

ter colebatur, cum verius de vobis accineret vates.

Ecce Palatino creuit reuerentia montis,
Exultatque habitante Deo, potioraque Delphis
Supplicibus late populis oracula pandis.

Ad lucernam in candelabro accedite & illuminamini. Ad Pontificem, Pontificij iuris sacri vates, Delphica, & Deifica qui sacrorum Apollinum panditis oracula; Quorum in apice cærulea fila smaragdis ducta virent; Quorum polus parturit sydera Ecclesiarum cacumina radiantia.

Ad Ciuitatem in monte positam: Ad legiferum Ecclesiæ Principem properate iustitiæ, & Astreæ cætus, qui cæsarei iuris abstrussa rimantes coccinea purpura saturauistis cæsariem. Ex queis efformantur fasces, prætexuntur togæ, creātur Curules, & repetito consule nutriuntur senatus.

Non alium certe decuit Rectoribus orbis
Esse larem, nulloque magis se colle potestas
Æstimat, & summi sentit fastigia iuris.

Ad salem denique mei Doctoris cōuolate, aduersus corruptionem corporum medellæ artifices, auricomis nitentes galeis Galenici equitatus, qui naturæ reparantes iuuentā feralibus morbis, quasi nentibus sororibus pollicem frangitis, ne vitæ fila dirimant fatalia.

Ad Ecclesiæ firmamentum ad Benedictinam gloriam aduenite huius Athænæi Athlethæ, Pammachi, & Gymnasiarchæ. Tritonidos ingeniosa pubes, quę rationalis Martis duellis doctiloquam arenam cruentat Gregorij indulgeat adscititia præconio. Ergo age Salmantina nobilitas. Iberiam sibi famulantem noscat Gregorius. In te totus Hesperus effluxit: circumflua iuuenum pompa ex orbis vtriusque oblata plagis atria latent; strepitu sonoro remugiunt claustra; sub pondere gemunt aulæ, vbique in rostris sapientia non diuisa sed multiplex ex cuiusque loquitur labris, & ipsius aëris lingua responsat erudita. Huc aureos iuuenes mittit Tagus ingenij

ingenij iubare ſplendentes; Proceres Carpentanorũ Mantua; linguę diuites Bætica: nobilibus ſtemmatibus condecoratos Cantabria: acuminis & corporis celeritate pollentes Vaſconia; litterariæ paleſtræ cura indeffeſſa deditos Aragonia, in muſica, & Poemate Amphiones Luſitania, Herculeos Campeſtris tellus, Ingenij fulgura Gallacia. Nec auri pondus detinet Indum, ſed vndoſo ſe credens pelago fluenta Salmanticæ ſitit ſtudioſa.

Iouem figmentata fabella perhibet, ſui Regni neſcium armigeras Aquilas ab eois occiduiſque plagis miſsiſſe Aquila in noſtri Muſæi conſedit atrio, vt in illo ſplendet aureis ducta filis, certius etenim hic, vt fabula ludamus, metiri poterat imperium. Non Archades celebrent Athænas: non Epheſum Iones; nom Triopum Dorienſes; non Ptolomæi muſæum Alexandrini; ſordeant Syracuſſæ, Delos, Menala, & Thebæ, & quidquid in poſterum vatum debuit Carminibus monimenta. Dum *Scientiarum Princeps Salmãtica docet.*

Ad quid hæc; niſi vt ad ſcientiarum Principis Gregorij Panegyrim vos alliciam? Cuncti Curuato poplite, *Effundite coram illo corda veſtra*, Quia *Scieutiarum Dominus eſt*, Oraculorum trypus; doctrinæ typus; Columbæ roſtrum in roſtris: Spiritus Sancti flabri labrum; diuini Numinis in pectore plectrum; Iuſtitiæ redux; virtutum dux, humilitatis ſuperbia; miſericordiæ cor, Benedicti decor; gloriarũ thronus, thronorum gloria: ſapientiæ mens; *Dei mons*: Olympi honos, Erebi onus; pulchrum Eccleſiæ fulchrum: in omnibus Gregorius, Magnus in omnibus. Ipſe benedictionum nimbum irroret, queis gratia fæcundata parturiat gloriam. Quã mihi & vobis donare dignetur, cui gloria per æterna ſæcula.

[illegible] Mau-
[illegible] o-
[illegible]
Valentiæ; [illegible] Arago-
[illegible] Herculeo
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible] Regni [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]. Dum [illegible]

[illegible]
[illegible] vos [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] Spiritus Sancti [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Gregorius [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Es de la Libreria del R.l Conv.to de S. Pablo el R.l